

garos; mittunt nunc alium ad alias potentias ultramontanas et hec omnia faciunt aperte, cum antea sicut scit S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> umbram etiam istarum rerum formidarunt.

Fortasse aliqua ratione id fateri nolunt. Apertissime tamen videtur et ista est mea et aliorum opinio eos omnino<sup>1</sup> aperte cum Turco<sup>2</sup> rupturos. Aliter quicquid hucusque fecerunt incassum actum esset et ultra quingenta milia ducatorum frustra essent abiecta.

Haec omnia volui aperire B<sup>ni</sup> V<sup>ae</sup>, ut pro sua pietate<sup>3</sup> et sapientia dignetur consulere salutem Christianorum et una cum sacro collegio viam aliquam excogitare, per quam talis et tam sancta ac<sup>4</sup> necessaria res dirigi possit. Ego interea expectabo mandatum B<sup>is</sup> V<sup>ae</sup>, cuius clementiae humiliter me commendo.

Dat. Venetiis die XXVI Iulii 1463.

E. S<sup>tis</sup> V<sup>ae</sup> humilis servus B[essarion], episcopus Thusulanus.

Orig. all'Archivio segreto pontificio. Arm. 39, tom. 10, f. 1.

## 57<sup>b</sup>. Il cardinal Bessarione a Papa Pio II.<sup>5</sup>

Venezia, 29 luglio 1463.

Sanctissime ac beatissime pater. Post pedum oscula beatorum. Post litteras illas quas nudius tertius scripsi B<sup>ni</sup> V<sup>ae</sup> de ultimo responso dato mihi ab isto illustr. dominio non cessavi omni opera et studio contendere, ut aliquando desideratum finem haberem. Vocavi rursum deputatos: allocutus seorsum quamplurimos ex primariis nobilibus urbis et quia non defuerant qui diversi generis zizania seminaverant conatus sum ea e pectoribus civium evellere adhibitis quibusdam bonis et notabilibus prelatibus quorum ministerio usus fui. Denique adhibere conatus sum omne genus persuasionis, gratie, humanitatis, ut rem perficerem. Sic tandem cum celesti favore placati sunt animi nobilitatis et ubi die lunae et martis post diuturnam consultationem factam in consilio rogatorum, id tantum actum fuerat quod S. V. ex litteris meis intellexit, iterum die mercuri et iovis usque ad noctem in eodem rogatorum consilio fuerunt domumque hoc mane cum prima luce ad me venerunt magnifici deputati retuleruntque hilari et laeto vultu quemadmodum illustr. dominum considerato summo fervore et honestissimo desiderio B<sup>is</sup> V<sup>ae</sup>, cuius vo-

<sup>1</sup> BACHMANN: animodo.

<sup>2</sup> BACHMANN: Turcis.

<sup>3</sup> BACHMANN: potestate.

<sup>4</sup> BACHMANN: et.

<sup>5</sup> Cfr. sopra p. 235. BACHMANN in *Fontes* 46, p. 21 dà in tedesco un'indicazione del contenuto in parte errata. Nella sua recensione di quest'edizione (*Gött. Gel. Anz.* 1894, 215) V. BAYER ha espresso il desiderio cui ora rispondiamo, che si pubblicasse questo documento come il 58<sup>a</sup>.